

# H V N O-

RVM PRÆSIDIVM.

**E**A regio, quam uulgo Hunes-  
ruck uocant, putatur olim fuisse  
Hunorum statio seu præsidium.  
De qua illustrissimus princeps  
Iohannes Palatinus, qui ei præsedit, ista sup-  
peditauit. Extant adhuc vestigia quædam  
Hunorum in regione nostra. Nam haud  
procul à Siemern oppido nostro est fons qui  
dam, qui uocatur Hounenborn, id est, Hu-  
norum fons. Est & arx quædam, quam uul-  
gus uocat Hoinstein, in Cæcellarijs uero ap-  
pellatur Hunoltstein, quasi Hunorū rupes.  
Et aliud castrum Castellun, quasi castellum  
Hunorum. Porro ruck Germanis sonat ter-  
rum: ergo autem utitur pro tuto præsidio.  
Erat itaq; regio ista Hunis olim tutum præsi-  
dium ob id potissimum, quod his tribus flu-  
uijs Naha, Rheno & Mosella circumscribi-  
tur. Sed cum comites Spanheimenses, Rin-  
grafenses, Veldenzenses atq; Vuildgrafen-  
ses exercitum ualidum in unum coëgissent,  
colluuiem illius gentis in fugam uerterunt.  
Regioni huic, ut diximus, hodie præsident  
principes Palatini, heredes facti comitatu-  
m Spanheim & Veldencensis per domi-  
nam Annam, que unica filia & heres fuit u-  
triusq; comitatus, & quam Stephanus Ru-  
pertii Palatini & regis Romanorum filius u-  
xorem duxit. Reliquit autem Stephanus du-  
os filios, Fridericum & Ludouicū nigrum.  
Friderico obuenerunt ex Palatinatu Sie-  
mern, Bolanden, Vualdeck & Erenberg cū  
annexis prædijs, à matre Spanheim. Ludoui-  
co uero cessit à patre Zweibrucken, à matre  
Veldenz &c.

## HASSONIA ET THVRINGIA.

**C**Vm anno Christi 1001. imperium Ro-  
manum in Germanos translatum ua-  
rijs dignitatum gradibus adornaretur ab Ot-  
tone tertio imperatore, instituerenturq; qua-  
tuor duces, quatuor marchiones, quatuor  
Landgravij, quatuor Burggravij, quatuor  
comites &c. breui factum est, ut ob uirilis suc-  
cessionis defectum iste ordo confunderetur